



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XXXIII. De claudis & aliqua parte corporis minutis, si sacro ordini poßint
adiungi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI
895.

tium Dei minuatur, & cura populi irreligiose agatur. Si vero contingat pro ea comparticipes diffidere, & sub vno presbytero nolle eam procurare, & propterea iurgia & contentiones tam inter ipsos, quam inter clericos incipiant frequentare, quia iuxta Apostolum seruos Dei non oportet litigare, episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura honorifice collocet eas, atque eiusdem ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea, vt sacrum ministerium nullus celebret in ea, antequam concordia vnanimitate vnum omnes eligant presbyterum, qui idoneus sit sacrosanctum locum procurare, & populo Dei vtiliter præesse. Hanc autem habeant auctoritatem episcopi, vt in nullis ecclesiis nec constituentur presbyteri, nec expellantur illis inconsultis & non consentientibus. In epistola beati papæ Clementis legitur: Attendendum summo opere est omnibus presbyteris & reliquis clericis, vt nihil absque episcopi proprii licentia agant, non vtique Missas sine eius iussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat. Similiter & reliqui populi, maiores scilicet & minores, per eius licentiam, quidquid agendum est, agant. Animæ vero eorum ei creditæ sunt: ideo omnia eius consilio agere debent, & eo inconsulto nihil.

XXXIII.

In Nicæno sancto & vniuersali Concilio statutum est, capite primo: Vt si quis a medicis per languorem defectus est, aut a barbaris abscisus, hic in clero permaneat. In epistola Innocentii papæ, capite vigesimo octauo: Qui igitur volens cuiuslibet

Concil. Tom. 24.

Oooo ij

partem digiti sibi abscidit, hunc ad clerum Canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contingit, hunc Canones præcipiunt & clericum fieri, & si in clero fuerit repertus, non abiici. Item in decretis Gelasii papæ, capite decimo sexto: Vt nemo literas nesciens, vel aliqua parte corporis imminutus, promoueatur ad clerum. Hanc auctoritatem sanctorum patrum confitemur, & confirmamus, sequimurque: ita vt si quis a medicis per languorem defectus est, vel per aliquam infirmitatem claudus effectus est, & inueniatur alias dignus, permaneat clericus, & sacro ordini aptus.

XXXIV.

Vndique bella consurgunt, hostes sæuiunt, inimica gens Paganorum insequitur populum Christianorum. Impletum est enim quod euangelica *Math. 24.* testatur historia: *Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, &c.* Et alibi scriptum *Sap. 5.* est: *Pugnabit orbis terrarum pro eo contra insensatos.* Quapropter zelo diuinæ æmulationis accensi Christianorum exercitus procedunt ad bellum, confidentes in eum qui dixit: *Vos ad certamen acceditis, ego prælior pro vobis.* Fit conuentus Christianorum & Paganorum: fortiter dimicant isti pro fide, illi contra fidem. Vnde fortissimo confortante Domino, sicut * Matathias pater Machabæorum *1. Mach. 3.* ait: *Non in multitudine exercitus fit victoria belli, sed de cælo venit fortitudo:* sæpe fuit victoria Christianorum, victa est pars Paganorum. Quare vna cum interfectis Paganis perempti fuerunt Christiani, captiui a barbaris, quia in impetu belli